


187



185

191

181

196

176

236

136

286

086

Ende

Anfang

posterior vero pro navibus infidelium. Lingua autem utrumque portum secans in profundum protensa maris duplicatum murum superaedificatum continet cum XVI turribus, et in acie vel fine linguae in maris profundo est praedicta Julii turris, quasi castrum et firmissimum fortalitium, quod ampliavit et renovavit modernus Soldanus mirum in modum, persuasus a quodam abnegato Christiano, quem ferunt fuisse de Oppenheim, qui architector illius exstitit operis, opere autem completo clam recessit et ad gremium ecclesiae rediit. Quidam dicunt, Julium hanc turrim fundasse in mari in loco, ubi aurea famosissima solis mensa fuit reperta per pescatores, de quo Jeronymus facit mentionem in Epistola ad Paulinum, circa finem primi capituli, et Valerius Maximus Libro IV. Piscatoribus enim in mari verriculum trahentibus quidam in littore transiens jactum emit, extracto autem rete magni ponderis auream mensam extraxerunt; orta est inter pescatores et illum, qui jactum emerat, controversia, illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunae ductus emisse dicente. Qua conditione propter novitatem rei et magnitudinem pecuniae ad universum civitatis populum delata placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam mensa adjudicari deberet. Qui respondit, illi esse dandam, qui sapientia caetores praestaret. Miserunt ergo eam Milesio Sapienti, qui se non praestantiores aestimans misit eam Bianti. Bias Pittaco, hic protenus alii, deincepsque per omnem septem Sapientium orbem ad ultimum ad Solonem, qui titulum amplissimae prudentiae habuit. Et hic ipsam mensam ad tempulum Apollinis transtulit. Aliis videtur, hanc mensam in alia maris regione repartam, in insula Choa, de qua fol. 155. vide de medicis.

Istam turrim, quam nunc Saraceni nominant Faruglan, veteres nominabant Pharum vel Farum, idem sonat, vel graece Pharos, quod idem est, quod turris altissima, Alexandrina, quae unum erat de septem mundi mirabilibus. Stabat enim super quatuor cancros vitreos grandes, qui XX passuum sub maris aqua in fundo stabant, super quos gravissima moles in altum erecta aedificata erat, in cuius summitate semper ignis accensus ardebat, qui longe lateque per mare splendens navigantibus nocte indicium portus erat, ut habeat Catholicum in dictione Pharos, littera F. Hoc opus Sapientes mundi mirabantur, quomodo tam magni cancri fieri de vitro poterant, et quomodo fuerint deportati et non fracti, et quod